



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 8. Sagæ in vrsum, & sagi in truncum, & bouem lepida conuersio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

tum petit: præbet ancilla: *Quærit ille, ubi hospita? audit pessimè habere, & animam in lecto agere. Quid, inquit, inepta, ebrium me putas? Vix mediapars horæ elapsa, cùm ego illam isthic sanam, & malam, qualis tu, reliqui? Eo, & visam, quid hoc rei? intrat in thalamũ, inuenit collum & ventrem vulneribus perfossam, laceramq; expirasse. Unde hæc, exclamat, vulnera? Nescire se profitetur ancilla, nec domo, quod sciret, pedem extulisse. Itur ad Magistratum, vulneracissim punctimq; illata inueniuntur. Iisdem in locis, quibus bufonem, qui nusquam comparabat, milites distinxerant. Hæc ille.*

§. VIII.

Saga in vrsum, & sagi in truncum & bouem lepida conuersio.

Quibus addi possunt duo ex Austria. Ibi enim Serenissimus Archidux Carolus in venatione quadam, ceruos, credo, secutus, incidit in immanem quendam vrsum, quem iaculatu plumbeæ glandis petens, audiit fæmineam vocem, *ve mihi*, clamantem, quam secutus, reperit vrsum in anum conuersum, quæ pro præda humi iacuit, ex globi ictu interemta. Rem hanc narrari audiui ab ijs, qui Archiduci erant

erant intimi. Consimile quid, haud ante multos annos, in superiore Austria, contigit, quanquam euentu latiore. Inter rebellium capita vnus erat, magicæ artis princeps. Is varia commentus est, vt sibi quandam diuinitatis opinionem, apud simplices, conciliaret. Finxit enim impiè se Gabrielis Archangeli generū esse, eaq; propter multa ab eodem Archangelo futura, multa arcana discere. Pro quibus sacrilegis mendacijs, vti & pro rebellione mercedem suam accepit. Hic ergo vir, ope dæmonis, multa lepida sæpe fecit. Aliquando ambulans ruri, cum videret procul aduenientem insitorem vitrorum, sub corbe doruario bene scyphis vtreis onusto, pressum, curuatum, fatigatum; in media via repentè se ipsum conuertit in arboris truncum, vix vno alteroué pede à terra emergentem, & sessui idoneum. Ad quem vbi vitrorum baiulus oppidò lassus peruenit, commodum quiescendi locum ratus, supra assedit, & conuiuere oculis cepit. Dormitanti & nictanti magus, iterum in hominis figuram mutatus se subduxit, vt concidens baiulus pariter, corbis, vitraq; omnia in terram effunderentur.

Fractorum vitrorum sonitu somno excus-
 sus institor, vidit se inter scyphorum cada-
 uera iacere; neque tam suo casu, quam
 miseranda mercis strage iacturaq; moue-
 batur, eam eiulabili lamentatione deplora-
 bat. Accessit magus, & causam lamento-
 rum non tantum audiuit, sed oculis quoq;
vidit demonstratam. Ergo vt miserum ho-
 minem consolaretur, Succurram, inque-
 bat, si vis mihi parere; & ita succurram,
 vt etiam lucrum tuæ mercis sis reportatu-
 rus. Cui cum alter operam suam addixisset,
 Ecce, aiebat, ego nunc in bouem muta-
 bor, tu me fune ligatum, in proximum
 oppidum deducito, inibi in foro constitu-
 tum vende, & cum pecunia abi. Dixit &
 adhuc durante sermonis humani voce mu-
 gire cœpit; vltima certè syllaba in mugitū
 desinebat; cumque vellet institor plura in-
 terrogare, vidit pro pileo duo alta lateque
lunata cornua in capite mugientis stare;
proq; gemino pede quadrupedē, pro ho-
 mine bouem in iisdem vestigijs hære, de-
 ne pastum, lectum, formosum, qui vt duci
 posset, funem cornibus implicitum ipse
 gerebat. Relictis igitur vitrorum fragmi-
 nibus extemporalem bestiam baiulus tra-
 hebat,

hebat, haud inuitè sequentem. Et facile inuenit emtorem bos tam nitidus & pinguis, præsertim pretio non maximo additus. Emit eum lanio, atque domum, cum tripudio duxit, gloriatus se eo die bonum forum habuisse. Domi, postquam eum præsepibus innexuit, famulo mandauit, vt ei fœni affatim præberet. Is lætus stabulum adit, & fœnum ambobus brachijs prehensum boui hospiti sufficiens apponit. Hic mirabile quid accidit. Nam bos claris verbis locutus dixit: *Stulte quid apponis? non vescor ego fœno.* Attonitus seruus, *Quid ergo vis comedere?* inquit. Cui bos rursus: *Pulmentis ego vescor* ait. Seruus admiratione plenus ad herum currit, eumque interrogat, *Qualemnam bouem emerit, qui loqui sermonem humanum nosset, & non fœno, sed pulmento vesci vellet?* Obstupescens lanio, arrepta bipenni aduolat in stabulum; sed nihil ibi reperit, præter funem, quo se suspenderet, si ei pendere liberet.

§. IX.

Experientijs supra narratis, quinam authores decepti sint?

Ita ergo vidimus, arte Tartarea, homines